dimidia subtendentis duplum latus b a, & d k semissis subtendentis duplam d e, siue angulum dupli a, atque d f dimidia diametri sphæræ. Patet igitur quod subtensa dupli ipsius a b, ad subtensam dupli b c, est sicut dimetiens ad eam quæ duplum anguli a siue interceptę circumferentię d e subtendit, quod demonstrasse fuerit opportunum.

IIII.

In quocunque triangulo rectum angulum habente, alius insuper angulus fuerit datus, cum quolibet latere, reliquus etiam angulus cum reliquis lateribus dabitur. Sit enim triangulum a b c habens angulum a rectum, & cum ipso etiam alterutrum utputa b datum. De latere uero dato trifariam ponimus diuisionem, aut enim fuerit, qui datis adiacet angulis, ut a b, aut recto tantum, ut a c, aut qui opponitur recto, ut b c. Sit ergo primum a b latus datum, & facto in c polo describatur circumferentia maximi circuli d e, & completis quadrantibus c a d & c b e, producantur a b & d e donec se inuicem secent in f signo. Erit ergo uicissim in f polus ipsius c a d, eo q circa a & d sunt anguli recti. Et quoniam si in sphæra maximi orbes ad rectos sese inuicem secuerint angulos, bifariam & per polos se inuicem secant. Sunt ergo & a b f & d e f quadrantes circulorum, cumq; data sit a b, datur & reliqua quadrantis b f, & angulus e b f ad uerticem ipsi a b c dato æqualis. Sed per præcedentem demonstrationem subtensa dupli b f ad subtendentem dupli e f, est sicut dimetiens sphæræ ad subtendentem duplum anguli e b f. Sed tres earum datæ sunt, dimetiens sphæræ, duplę b f, atq; anguli dupli e b f, siue semisses ipsorum. Datur ergo per xvi. sexti Euclidis etiam dimidia subtendentis duplam e f per canonem ipsa e f circumferentia, & reliqua quadrantis d e, siue angulus c quæsitus. Eodem modo ac uicissim sunt subtensæ duplicium d e ad a b, & e b c ad c b. Sed tres iam datæ sunt d e, a b, & e b c quadrantes circuli, datur ergo & quarta subtendens duplum c b, & ipsum latus c b quæsitum. Et quoniam subtensæ duplicium sunt ipso-